

4.

91  
833  
R

Q. F. F. Q. S.

DISSERTATIO CRITICO-PHILOLOGICA

DE

**RESPONSO  
ELISÆI,**

2. Regum VIII: v. 10.

QUAM

*Suffrag. Ampliff. Facult. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi,*

PRÆSIDE,

VIRO MAXIME REVERENDO atq; CELEBERRIMO

**D<sup>N</sup>. CAROLO ABRAH.**

**CLEWBERG,**

Græc. & L. L. O. O. PROFESS. Reg. & Ord.

PRO GRADU

*Publicæ Censuræ committit*

STIPENDIARIUS REGIUS

**LAURENT. N. COLLIANDER,**

SMOLANDUS.

In Audit. Minori Die XXIX. Jul. MDCCLVII.

H. A. M. S.

---

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Mag. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL,

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

RESPONSE

REPLY




THE UNIVERSITY OF TORONTO

LIBRARY

ST. JEROME'S COLLEGE

ST. JEROME'S COLLEGE

ST. JEROME'S COLLEGE



## PRÆFATIUNCULA.



Uotquot alumni sumus veræ & puræ religionis Christianæ, grata mente adgnosere debemus ingentem bonitatem DEi O. M., qui Sacrum Codicem Hebræum tot seculorum decursu adeo immunem conservavit ab omnibus corruptelis, ut singula oracula, quæ primis Sanctis Amanuensibus olim in calamus dictata fuerunt, in hodiernis exemplaribus tam sana tamque salva compareant, ut ne minima quidem littera aut mutata aut ablata dici possit. Quidquid enim rubiginis pretiosum hunc thesaurum successu temporis, incuria bonorum, vel injuria malorum, contraxisse fingunt veritatis authenticæ adversarii, id sane neque penitus neque tenacius inhæret,

cii facile abradi possit, modo iusta & proba adhibeatur diligentia. Non equidem ignoro, huic adfertioni inter alia objici posse, in Sacris Litteris passim occurrere variantes lectiones, quæ easdem primo intuitu ambiguas reddere videantur. Sed facilis est responsio. Ita enim hæ comparatæ sunt differentiæ, ut quid distent æra lupinis, haud difficulter perspicere possint adtenti & cordati lectores, qui pietate duce & eruditione comite, ad earundem dijudicationem accedunt. Longum foret, & a scopo nostro alienum, hic producere & examinare omnia illa Scripturæ loca, in quibus prisca Hebræorum Critici, variorum Codicum discrepantias, quæ nomine כתיבן & קריין venire solent, certis signis notarunt. Nobis heic satis fuerit ex hoc genere unum duntaxat locum paulo curatius excussisse. Illum vero ipsum desumemus, ex II. Reg. VIII: com. 10., ubi relatum legitur dubium quoddam vexatum circa responsum Elisæi, quod dabat Hazaël, qui eum consultum venerat, de exitu morbi, quo herus suus Rex Syriæ Benhadadus tunc temporis correptus jacebat. Hoc enim dubium si paulo enodatius explicare valuerimus, quam a variis viris doctis hætenus factum est, operæ pretium meruisse videbimur. Quoniam vero hoc loco animadvertimus interpretes tam duros nexuisse nodos, ut iis solvendis vix suffecerint ingenia etiam exercitatissima; facile intelligimus, id valde fore exiguum, quod nostra tantilla solertia in hac re præstare possit. Te igitur Hu-  
mane

mane Lector, quo decet verborum honore rogatus, velis pro ea, qua es, animi æquitate, juvenilis nostri conaminis cordatum atque benignum agere censorem, omniaque si fieri potest, in bonam partem interpretari.

§. I.

**U**T eo clarius atque certius intelligere valeamus, quis verus sit sensus Oraculi, quod extricare decrevimus, haud alienum videtur ipsam occasionem, qua prolatum fuit, in antecessum breviter exponere. Rex nimirum Syriæ Benhadadus e gravi, quo laborabat, morbo recreari cupiens, Hazaëlem sumtuosis instructum muneribus ad Elisæum, qui ista occasione, Damascum venerat misit, ut ipsum consuleret, quemnam exitum hic morbus esset habiturus? Huic consulenti directe & diserte respondebat Propheta: לך אמר—לא חיה תחיה והראני יהוה כי מות ימות  
De mente hujus responsi adeo inter se dissident interpretes, ut quot sunt capita, tot fere sint opiniones. Tota vero pugna ad voculam לא redit, cui dubiam tribuunt potestatem. Et dici vix potest, quantum negotii unica hæc syllaba ingeniis etiam sagacissimis & solidissimis conflaverit. Huc vero præcipue redit quæstio: Utrum vexata vocula adverbialiter *Non*, an vero pronominaliter *Ipsi* rectius verti debeat? Utraque hypothesis & do-

stiffimos & gravissimos habet adfertores. Ansam  
 dissidii præbuit observatio masoretharum, qua נל  
 pro ו scriptum tradiderunt, vel quod diversam  
 scriptionem in diversis apographis deprehende-  
 runt, vel quod in omnibus codicibus eandem in-  
 venerunt scriptionem נל, ob insolentiolem vero  
 accentuationem illud ו valere sibi persuaserunt.  
 His calculum addunt plurimi. Caussam vero va-  
 rietatis Lectionis & Scriptionis varii varie adlega-  
 re solent. Alii eo audaciæ procedunt, ut ipsum  
 textum in mendo cubare non vereantur statuere.  
 Alii qui saniores videri volunt, ad mutationem  
 litterarum נ & ו confugiunt.

§. II.

**N**obis tutissimum visum, ipsius textus curatio-  
 re suscepta pensitatione, inquirere, numne  
 verba, uti ibi jacent, sine illa emendatione, ex-  
 plicationem admitterent, quæ cum nativa eorum  
 significatione, genuina accentuum consecutione  
 & antecedentium atque consequentium colla-  
 tione consisteret, & tamen nihil haberet coacti  
 nihil contorti. Singulis rite excussis invenimus,  
 solidiorem explicationem quæri non debere, quam  
 quæ textum presse sequitur, eumque hoc modo  
 reddi jubet. *Abi dic: non omnino convalesces; Ete-  
 nim revelavit mihi Dominus, quod omnino sit mo-  
 riturus.* Hæc interpretatio se multis nominibus  
 com-

commendat omnibus, qui de controversiis Philologicis mature & perite judicare didicerunt. Habet enim omnia illa criteria, quæ ad solidam convictionem requiruntur. Nam 1:mo est *tutissima*, quia sequitur scripturam authenticam nec textui sine ratione dicam scribit. 2:do *Simplicissima*, quia nativa vocum potestate nititur, & sine ulla difficultate se quorumvis lectorum animis insinuat. 3:tio *Apertissima*, quia gravitati dicentis exacte convenit & veritati eventus accurate respondet. Nihil horum negare poterunt adversarii. Accedit, quod quæ ab his moventur dubia, nihil habeant solidi. Quid? Quod singulæ eorum sententiæ, quas huic nostræ opponunt, vix speciem veritatis tueri possint. Quoquot enim hætenus videre licuit, partim nimis crassæ, partim nimis acutæ & proinde adeo incertæ reperiuntur, ut vix apud ipsos auctores fidem invenisse videantur. Quoniam itaque nostra interpretatio solidissimis atque firmissimis nititur fundamentis & paucis tantum dubiis, iisque prorsus precariis atque ficulneis, impugnatur, omnes vero hypotheses adversariorum & plurimis & maximis premuntur difficultatibus, quas nullo ingenii acumine refecare, nullo eloquii flumine mitigare hætenus potuerunt, quamvis in id cunctos intenderint nervos; prono quasi alveo inde fluit, veram & certam esse sententiam, quam nos defendimus. Quia vero non dixisse, sed probasse sufficit, hæc singula jam clarius placet probare.

§. III.

**P**rimum itaque ostendere conabimur, nihil roboris inesse ratiunculis, quibus nostram interpretationem oppugnare satagunt adversarii. Per singula eundo id evincemus certissime. *Primo* nobis objiciunt versionem veterum, utpote Græcæ, Chaldaicæ, Syriacæ, Arabicæ, Æthiopicæ, Vulgatæ Latinæ, item recentiorum, ut Lutheri, A. Montani, Diodati, L. Osiandri, S. Schmidii, nec non Criticorum & Commentatorum, ut *Theodoretii, Pellicani, Maurini, Rauppii, Varenii, Grotii, Hilleri, Noldii, Wasmuthi, Piscatoris, Dachselyi, G. C. Petri, Starkii, Vitringæ* & aliorum. His nos opponimus Junium & Tremellium, Markium, Clericum, Witsium, Buddeum, Theophilum Aletham & alios, qui a nostris stant partibus. Præterea monemus, pondere argumentorum, non multitudine suffragiorum æstimandam esse veritatem. *Secundo*, nostram sententiam ex eo capite minuere conantur adversarii, quod Hafaël verba Elisæi *sensu ajente* ad Benhadadum pertulisse legatur, commate decimo quarto hujus ipsius capituli. Sed neque hoc quemquam movere debet. Nam si Hafaël sanctioris non erat religionis, quam ut Regem humida stragula injecta enecare potuerit, ut fert opinio ipsorum, quid obstat, quominus de eo vere dici possit, quod crimen falsi commiserit, verba Elisæi alio plane modo ad Benhadadum referendo, quam eadem ex ejus ore exceperat?

Nec



Nec vana est suspicio. Etenim cum Propheta eum de potiundo regno certiozem fecisset, ratio status postulare videbatur, ut veritatem, sibi quam Regi gratiorem, callide dissimularet. Nam si candidè & sincere eam retulisset, periculum esse intelligebat, ne Regem infausto nuncio data opera videretur exanimasse, ut eo facilius atque certius ipse in Regem evadere posset. Et sane si jam ante, ut sibi persuadent adversarii, herum e medio tollere decreverat, e re esse omnino videbatur, ut, nomine Prophetæ, potius falsum, quam verum referret responsum. Hoc enim pacto se illud putabat obtenturum, ut quod patrare statuerat scelus, eo securius perficere posset, nemine de infidiis cogitante. Quidquid sit, potius & rectius in callidum politicum, quam in sincerum ministrum verbi Divini conjicitur culpa mendacii. *Tertium* dubium, quod nostræ interpretationi moveri vidimus, defumi solet a constructione hujus particulæ, de qua quærimus. Commodius, inquit, cum verbo *imperativo* construitur vocula illa relativa וְ, quam particula negativa אֵל. Sed facilis est responsio. Textus enim non וְ sed אֵל habet, a quo sine manifesta necessitate non licet recedere. Deinde observamus, quod in casibus plane similibus sæpius absit, quam adsit particula illa relativa. Præterea plurima reperiuntur exempla, quæ neminem dubitare sinunt, quin אֵל æque commode ac וְ cum verbo *dicendi* construi soleat. Ex multis evolvisse sufficiat hæc loca. Gen. XIX: 11.

1. Sam. VIII: 19. Ef. XXX: 16. Hag. II: 13. Nec obstat, quod verisimile dicant, voluisse Prophetam aliquo certo indicio demonstrare personam, cui responsum referret Hafaël, cum res ipsa hoc satis ostenderet. Neque enim fugiebat hominem a quo esset missus, & cui proinde referre deberet responsum. Nec decus orationis, ut sibi persuadent, necessario postulat, ut huic voculae locum relinquamus. Nam primum quidem eam penitus præterierunt Septuaginta Interpretes, qui sane decoræ orationis fuerunt studiosissimi. Deinde summa esset injuria, si quis omnibus illis Scripturæ locis, quæ in casibus paribus hanc voculam non habent, suum decus, suum ornatum temere vellet negare.

§. IV.

**Q**Uæ hætenus diluimus dubia, adeo fuerunt levia, adeo jejuna, ut vix responsione visa sint digna. *Duo* adhuc restant, quæ majorem habent speciem. Illa igitur nunc pro virili solvere conabimur. *Prius* horum desumi solet ex accentu Tiphcha, qui voculam לֹא a verbis חַיִּהּ תַּחִּיָּה distinguunt. Hunc ajunt non potuisse hanc adfingere vocem, si vim particulæ negativæ haberet. In eo enim casu adesse debuisse putant accentum conjunctivum, aut lineolam makkaph. Fatemur, plurima dari exempla, quæ huic objectioni robur addere

addere videntur. Tantum tamen abest, ut hæc nostram refellant expositionem, ut potius magno numero adsint contraria, quæ eandem fortissime confirmant. Pauca adduxisse sufficiat. Gen. II: 25. וְלֹא יִתְבַשֵּׁשׁוּ. ו. Sam. XII: 21. וְלֹא תִסְרָרוּ. In his sub voce לֹא idem occurrit accentus, quamvis utrobique arctiorem connexionem cum suis verbis habere videatur, quam loco nostro. Sed erunt forte, qui hoc tantum obtinere dicent in ditionibus, quæ duabus solum vocibus constant. Age igitur alia producamus, quæ huic exceptioni quamvis nullius sit ponderis, locum non sunt relictura. Sic Num. XX: 5. in ditione trium vocum וְעַל מִקְוֵה זֵרַע לֹא מִקְוֵה זֵרַע etiam adest accentus distinctivus in eadem vocula. Pari modo Gen. II: 5. vox ejusdem potestatis אֵין regio gaudet accentu. Sed inquires fortassis, in his locis subintelligi, verbum substantivum, adeoque disparia esse exempla, si cum nostro conferantur. Verum nec in omnibus casibus, ubi illa adest ellipsis, mox adest accentus distinctivus, nec contra adest semper accentus conjunctivus, ubi dicta adest ellipsis. Quidquid sit de his omnibus, prostant etiam exempla, quæ nostro adeo sunt similia, ut vix ovum ovo sit similius. Ex multis hæc tantum nunc curta & parca suppeditat memoria, nimirum 1. Reg. X: 3. אִשָּׁר לֹא לֵה. אִשָּׁר לֵה cfr. II: Paralipom. IX: 2. ubi eadem occurrunt voces, iisdem insignitæ accentibus: Psalm: V: 5. לֹא יִגְרַךְ רַע. Hæc loca cum nostro eundem accentuum tenorem observant, saltem quod

attinet particulam negativam  $\aleph$ , quæ in omnibus accentu distinctivo insignitur. Nec est quod hanc accentuandi rationem insolentem voces. Nititur enim firma regula, quam diligens observatio Grammaticorum peperit & sufficiens inductio exemplorum stabilivit. Sic vero illa habet; *quoties ditio accentus alicujus Domini tribus constat vocibus, quæ nexu constructionis Grammaticæ, sed disparibus nixio rationibus coherent, toties seruo conjungitur prima cum secunda, tertia vero accentu distinctivo sejungitur, facto numerandi initio a sinistra versus dextram.* Vide Wasmuthi inst. Meth. accent. Hebr. p. m. 39. ubi vir doctus hanc regulam innumeris fere exemplis confirmavit. Si igitur vox  $\aleph$  quandoque aliter accentuata reperiatur, quam adducta regula jubet, exceptionem a regula locum habere, certum est, non itidem ipsam regulam infringi. Quid? quod ipsa etiam exceptio rationem sufficientem habeat in adfectu loquentis, nec fere alibi locum inveniat, quam ubi sermo est emphaticus & affectuosus. Audiamus harum rerum peritissimum arbitrum STARKIUM. Ita vero ille, in *Luce accent. Hebr.* p. m. 25. "Non autem æque ad Ebraismum, referre opus est constructionem particularum negativarum  $\aleph$  &  $\aleph$  in tertia voce positarum, cum suo verbo, sed potius ad emphaticam, eo quod illæ peculiarem verbo addant, omnemque actum plane negent (vid. Reinb. l. c. p. 96. §. 7.) Siquidem etiam ibi ordinariam distinctionem admittant, ut Num. XX: 5. Quoniam status constru-

structus multo arctiorem habet nexum, nunquam di-  
vellendum. Beatus Wasmuthus quidem eo casu ob-  
subintellectum verbum הִיָּה distingui putat l. c.  
p. 55. At וְאֵין semper illud includit & tamen  
conjungitur vid. Jer. XIV: 16. Sic etiam or-  
dinarie distinguitur, ubi nec illud subaudiri pot-  
est. Ex. XXXIII: 16. Nec minus aliæ negati-  
væ, ut Gen. XLIII: 2. Hactenus Starkius.

§. V.

**A**lterum dubium ex iis, quæ nobis cum specie  
veritatis objici solent ab adversariis, in eo si-  
tum est, quod particula לֵא & verbum אָמַר lineo-  
la makkaph cohæreant. Hoc enim ipso satis o-  
stendi putant, eandem non secundum scriptionem  
*textualem*, sed secundum lectionem *marginalem*  
esse explicandam. Quatenus enim hæc particu-  
la non præcedens verbum אָמַר sed sequens  
הִיָּה adficit, eatenus nullum cum priori habet  
nexum, & consequenter non conjungi sed disjun-  
gi debuisse has voces, poscunt, si nostra sibi con-  
stabit hypothesis. Verum enim vero, neque tam  
difficilis est hic nodus, quantumvis durus primo  
intuitu videatur, ut gladio Alexandrino opus ha-  
beant, qui eum sibi solvendum sumunt. Quem-  
admodum oratio emphatica & adfectuosa sæpe re-  
quirit, ut voces distinguantur, quæ inter se ne-  
xum habent arctissimum, ita ex adverso eadem  
non raro postulat, ut eæ jungantur, quæ nul-  
lam constructionem Grammaticam admittunt. Præ-

cipue enim dignum videtur observatu, quid verbo nostro מַטְרָא in tali casu accidere soleat. Quamvis enim, secundum communem accentuandi rationem verbum *dicendi* a verbis, *quæ dicuntur*, accentu distinctivo se jungi debeat & separari, ubi tamen adfectus dicentis celerem efflagitat sermonem, frequentissime adhiberi solet accentus conjunctivus pro distinctivo, ut etiam lectores periti & adenti idem quodammodo mente sentire possint, quod sentiunt auditores, qui hujusmodi orationem suis ipsorum auribus hauriunt. Quoniam vero, ut recte docet Seneca, *longum iter per præcepta, breve & efficax per exempla*, nos etiam hoc adsertum exemplis quam præceptis adstruere malimus. Sic inter dictum & signum dicti occurrit accentus conjunctivus in locis sequentibus Gen. XIX: 2. XXII: 1. XXIV: 46. XXV: 22. XXVII: 18. XXVIII: 19. XXXII: 27. Exod. III: 4. XIII: 14. Ruth. IV: 2. 1, Sam. III: 4, 5, 6, 8, VIII: 19. XIV: 33. Hæc vero loca si diligenter excuseris, luculenta vestigia adfectus animadvertes, quæ hic paulo distinctius repræsentaremus, nisi otium nobis fecisset celeb. Starkius l. c. p. 28. Sed regerat forte aliquis, hoc quidem concedi posse de illis locis, qui accentu tantum conjunctivo connexa adparent: aliam vero rationem esse hujus loci, qui Makkaphatas exhibet voces, de quibus controvertitur; eam enim jungendi rationem multo arctiorem esse priori. Ad hoc respondere liceat verbis Celebr. WITSII, contra VITRINGAM, de hoc

hoc argumento disputantis. Ita vero ille, in præf. ad Misc. Sacr. p. 13. "Quod tertio loco de Mak-  
kaph monet propemodum nihil est: quam enim "  
exigua, quam nulla sæpe lineolæ illius vis sit, ni- "  
si forte ad Euphoniã; quam promiscue ponatur "  
vel omittatur, & in eadem constructione nunc "  
has nunc alias voces nectat, ipso me melius vir  
doctissimus novit. Provocat deinde ad com. 5. &  
20. hujus ipsius capituli, ex iisque fidem facit ad-  
fertis. Nos, ne in verba Magistri jurare velle vi-  
deamur, singula Viri docti enunciata idoneis ex-  
emplis paulo firmiter munire conabimur. Sic pri-  
mo vim euphonicam hujus lineolæ recte agnovit.  
Hæc enim ratio est, cur locum præcipue habeat  
ubi vocalæ unius syllabæ concurrunt, utpote ad  
כָּה, כֵּה, כִּה, כֵּה, כִּה, כֵּה, כִּה, כֵּה, כִּה, כֵּה, כִּה, כֵּה,  
כָּה, כֵּה, כִּה, כֵּה, כִּה, כֵּה, כִּה, כֵּה, כִּה, כֵּה, כִּה, כֵּה,  
&c. præcipue si plures earum concurrant, ut hoc loco לָה & אָמַר. Nam  
adeo delicatis auribus sunt Hebræi, ut difficulter  
ferre possint concursum duorum accentuum in syl-  
labis contiguis. Hinc accentum priorem aut re-  
trahunt, aut abjiciunt, lineola Makkaph substituta,  
quorum posterius etiam usu venit, ubi adest ac-  
centus distinctivus, ut ex sequentibus adparebit.  
Deinde probe dixit, hanc lineolam tantum exi-  
guam habere vim. Nam nullam statuere, ubi con-  
citatæ fermonis, qui adfectus indicium est, chara-  
cterem exprimit, incongruum videtur. Hunc e-  
nim usum sæpe habet. Evolve & perpende Exod.  
III: 13. Jes. XXXVIII: 14, 15, & res erit palpa-

bilis. Vide Starkium l. c. p. 29. Præterea quod promiscue ponatur vel omittatur, ex Ezech. VIII: 1. seqq. Quod vero in eadem constructione nunc has nunc illas voces jungat, constat ex Jer. VII: 10. Coll. XXXIV: 5. Nostra vero præcipue refert probasse, quod eas etiam voces copulare soleat, quæ alias ad tenorem regularum accentuationis deberent accentu distinctivo insigniri. Hoc vero plurima docent exempla, quorum prolixum texeremus catalogum, nisi brevitati esset studendum. Interea conferantur Deut. XIV: 12. & XXVIII: 49. cum Levit. X: 1. & 2. Chron. IX: 2. In his enim omnibus simillima est constructio, & tamen vox מל quæ in prioribus habet lineolam Makkaph, in posterioribus accentu distinctivo gaudet, ut supra notavimus. Idem patet, si conferatur Job. XV: 20. cum Ps. CXXVII: 5. Gen. III: 17. omnium vero clarissime & fortissime hoc evincit locus Es. XXX: 16. Ubi non tantum verbum dicendi מנאמא accentu conjunctivo connectitur cum particula מל, quod modo ostendimus in aliis etiam locis Scripturæ usu venire, verum etiam מל & כ lineola Makkaph combinantur, quamvis inter utramque particulam nullus adsit nexus, altera ad prius altera ad posterius propositionis membrum pertinente. Nam in tali casu requiri accentum distinctivum secundum accentuationem ordinariam, in confesso est.

§. VI.

**A**Tque ita satis ostensum atque probatum existimamus, quod singula dubia, quæ adversus  
no.



nostram sententiam moveri solent ab adversariis, plus habeant stoliditatis quam solidatis, plus coloris quam roboris. Jam paucis probandum, quod eorum sententiæ, quas nostræ opponunt, tam multis tanque magnis obnoxix sint difficultatibus, ut vix ulla detur ratio, qua cum veritate in concordiam reduci queant. Expendamus singulas, & res dubio prorsus carebit. SCHMIDIUS hæc verba textus היה תחיה *vivendo vives*, interrogative interpretatur. *Num vivendo vives?* Sed cum textus ne hilum quidem habeat, unde exsculpi queat interrogatio, istam interpretationem merito explodimus & auctori relinquimus. Nam si his verbis sine idonea ratione adfingenda esset interrogatio, quid obstat, quo minus sequentia כן מות יהיה *interrogative interpretari possimus?* Sic autem talis emergeret sensus: *Abi, dic ei, num vives & num revelavit mihi Dominus, quod morietur?* Quis autem non videt, hoc nimis frigidum fuisse responsum? Et si vel maxime prius tantum membrum intelligi deberet interrogative, nimis tamen exilis atque enervis esset oratio, longeque abhorrens ab ea gravitate, quam tantus propheta recte creditur adhibuisse. MARINUS autumat Elisæum ambiguo consulente elusisse responso, quia *Lo* prolatum intelligi nequit, utrum ל non, an vero ל *ipsi* valeat: sed Hazaëlem in sensu *ajente* sumsisse. Enim vero non prophetis Domini, sed oraculis Paganorum convenit, incertissimis amphiboliis illudere consulentes. Profecto rem suam serio agebat

bat noster, diserte pronuncians, Benhadadum certo moriturum esse, adeo ut ipse textus has necerias refellat. GLASSIUS verba, *vivendo vives*, ironice intelligi debere contendit. *Ironice*, inquit, *impium Regem & hostem populi Dei ludit*. Verum & hæc hypothesis lubrico nititur fundamento. Certe non liquet, utrum Syri hoc tempore bellum gesserint cum Israelitis. Contrarium potius constare videtur ex eo, quod Damascum petierat Propheta & Benhadadus magnis muneribus missis non inimicum, sed benevolum animi adfectum ipsi ostendebat. Probabilis fuisset opinio, si regem ipsum allocutus fuisset Elisæus, ut modum sermonis & gestum corporis observare valuisset, indeque ironiam verbis subesse, colligere potuisset; Quoniam vero per tertium jam referendum erat responsum, etiam speciem veritatis amittit hæc conjectura. Quid? quod Propheta Hafaëlem in secunda persona, Regi nunciare jubeat responsum, & id insuper claris explicet verbis, quod superfluum fuisse videtur, si illud habitu ironico enunciasset. JOSEPHUS & GROTIUS eadem verba nude & crude accipiunt arbitrantes, prophetam directe jussisse, Hafaëlem Regi vanam & falsam spem vitæ facere, quamvis privatim legato significaverit, herum ipsius certo moriturum. Sed Sanctum Prophetam tam pudendi mendacii auctorem facere, summam sapit injuriam. Nam, *mentiri non est boni viri*, multo minus prophetæ & omnium minime in causa oraculi, in qua nihil veritate esse

esse debet prius, nihil antiquius. Recte **BUDDEUS**:  
 “Etsi innoxia dissimulatio neutrquam in vitiis ponatur,  
 de mendacio tamen, quo jus alterius violatur,  
 aliter censendum. Hoc enim eadem lex vetat, quæ  
 alterum lædere prohibet. Quæ quidem lex, ut ad  
 omnes homines, ita & ad extraneos & idololatrias  
 pertinet.” **THEODORETUS** eandem fovet opinio-  
 nem, sed quam tamen mitigare studet, addita caus-  
 sa dissimulatæ veritatis, ne Rex, inquit, tristis e vi-  
 ra excederet. Idem sentit **ABARBANEL**, qui hone-  
 stum vocat consilium quod Hazaëli suggestisse fingi-  
 tur Elifæus. Sed mendacium est mendacium, quo-  
 cunque demum colore pingatur. Et quomodo, quæ-  
 so, decere poterit ministrum verbi Divini, ægrotum  
 certo moriturum vana spe salutis recuperandæ pa-  
 scere, & quantum in se est efficere, ut animæ infi-  
 delis conversio impediatur, quam omnes promovere  
 debent, potius vera, licet dura, quam falsa licet gra-  
 ta, morituris annunciando. **LEVI BEN GERSON**  
 alium invenit colorem, quo deformem hanc opinio-  
 nem exornaret, statuitque Elifæum jussisse Hazaëlem  
 falsa referre ad Benhadadum, ne metus, hoc nuncio  
 ipsi incussus, causa mortis fuisse videretur. Sed huic  
 satisfecit Paulus, qui docet, non facienda esse mala, ut  
 inde veniant bona. Et res ipsa docet, in tali casu  
 omnium minime locum invenire pias fraudes.

§. VII.

*A*lii, hanc explicandi rationem justo duriorem sen-  
 tientes, verbis prophetæ duplicem contineri præ-  
 dictio-

ditionem, sibi persuadent; sed hi iterum in diversas abeunt sententias, quas jam sub incudem breviter revocasse, non pigebit. PELLICANUS abitratur, verbis *חיה ותחיה vitam anime*, & verbis, *מות ימות mortem corporis* Benhadado annunciari. Sed hoc nominasse est refutasse. Quis enim non videt, inhumanum fuisse Prophetam, si statu quaestionis neglecto, immo inverso, responsum edidisset, quod sciret consulentem alio modo & sensu, quam quo prolatum fuit, esse interpretaturum. Neque enim de *vita mentis*, sed de *vita corporis* consulebat Benhadadus. Taceo, quod absque idonea ratione Benhadadam conversum fuisse statuatur bonus Pellicanus. DIODATUS, KIMCHIUS, WASMUTHUS, DACHSELIUS, STARKIUS, & alii quam plurimi, hunc fere sensum ex dictis verbis exculpunt: *Abi, dic ei, quod hic morbus ipsi non erit causa mortis; sed quando convalescere incipiet, alio quodam modo interibit.* Verum & haec exponendi ratio suis laborat dubiis. Multa enim gratis supponit, quæ cujusvis fides non sustinet. Primum quidem nondum est evictum, talis, ne fuerit natura morbi, qualis ab his auctoribus praesumitur. Id constat, Regem postridie lecto adhuc detentum, vita fuisse privatum. Utrum vero convalescere inceperit, cum Hafaël injecta veste humida eum opprimeret, valde est incertum. Textus sane nullam facit mentionem recreationis. Quid? quod veri videatur simile, quod Rex, æstu febrili incalescens, refrigerium postulaverit, & eo ipso occasionem praebuerit Hafaëli, se praepostere officiosum praebendi. Certe valde debilem fuisse

fuisse oportet Benhadadum, qui tam levi causa perierit. Suffocatum putat JOSEPHUS; sed textus non nisi simplicis injectionis stragulæ, aquæ madefactæ, mentionem facit, nec ullum ibi signum adest, unde certo sciri potest, quo animo Hazaël Regi infausum pietatis officium præstiterit. Vides igitur, omnia esse incerta, quibus hæc nititur opinio. Accedit, quod si hic fuisset sensus verborum, nimis acute respondisse videatur Elisæus. Non ignoro quid ad hoc dubium respondeat acutissimus CAMPEGIUS VITRINGA, sed ea exempla, quæ vir doctus adfert, probaturus tale acumen non insolens esse prophetis in edendis responsis, partim huic loco sunt dissimilia, partim plus non evincunt, quam quod Elisæo possibile fuerit, ejusmodi uti acumine. Quod vero hoc minus sit probabile, constat ex iis argumentis, quæ a nobis pro sententia negativa modo sunt adducta. VITRINGA, qui modum interpretandi, quem jam excussimus, initio probaverat, variisque ornaverat coloribus, incertus tamen, quam fidem ab aliis esset impetraturus, ex suo ingenio alium suppeditat, quem majorem veri speciem præ se ferre judicat. Duo verbis Prophetæ prædici statuit, *alterum*, qualem exitum habiturus esset morbus Benhadadi, *alterum* quale responsum ipsi relaturus esset Hazaël. Duo autem incommoda, præter ea, quæ cum priori habet communia, novam hanc sententiam gravare, certum est. *Primum* quidem eam ægrius admittere videntur verba modi imperandi, quæ in textu habentur. Scio quidem virum sagacem hanc præsensisse

objectionem, adeoque ad eam eludendam confugisse ad enallagen, qua pro futuro ponitur imperativus. Provocat ad dictum Eccles. XI: 9. tanquam simile. Sed dissimilitudinem ipse videtur animadvertisse, dum hæc subjungit: idem fere fit in loco, quem nunc commentamur. Neque ad enallagas epitropas, & alias ejusmodi figuras prius licet confugere, quam certis constiterit signis, verum sensum nullo alio modo inveniri posse, id quod de hoc loco dici nequit, ut ex ante allatis constat. *Deinde*, huic expositioni ipse obstat textus. Nam si Propheta duo prædixisset, Dominus ipsi duo revelasset: jam in textu clare & aperte restringitur revelatio, ad solam mortem Benhadadi; ergo nihil præter eam revelaverat Dominus, & nihil præter eam prædicebat Elisæus. Et hoc quidem dubium priores etiam opiniones premit, in quibus duplex statuitur prædictio.

Concludimus itaque illam interpretandi rationem, quæ verba textus presse sequitur, omnium esse verissimam, cum reliquæ singulæ, uti jam ostensum est, valde infirmis nitantur fundamentis.

